NICOLAI VIGELII IV-RISCONSVLTI

DIGESTO-RVM PARS SEXTA:

De obligationibus & actionibus ex delicto deſcendentibus.

BASILEÆ, EX OFFICINA OPORINIANA.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

DIGESTORVM LIBER QVADRAGESIMVSSEXTVS:

DE QVATVOR MALEFICIORVM generibus, cum ſuis actionibus.

DE POENALIBVS ACTIONIBUS in genere. Cap. I.

I. CAVSAE EX QVIBVS actiones pœnales competunt.

EX *delicto ſeu maleficio hæ actiones naſcuntur: ueluti ex furto, rapina, damno & iniuria. quæ regula approbatur* Inſtit. *de obligat. quæ ex delicto naſcuntur, in princip. his uerbis:* Cum ſit expoſitum ſuperiore libro de obligationibus ex cõtractu, & quaſi ex contractu: ſequitur ut de obligationibus ex maleficio, & quaſi ex maleficio diſpiciamus. Sed illæ quidem (ut ſuo loco tradidimus) in quatuor genera diuiduntur: hę uerò unius generis ſunt. Nam omnes ex re naſcuntur, id eſt, ipſo maleficio: ueluti ex furto, rapina, damno, iniuria. *Cõcordat l. ex maleficio. 4. in prin. ff. de action. & obligat. his uerbis:* Ex maleficio naſcuntur obligationes: ueluti ex furto, ex damno, ex rapina, ex iniuria: quæ omnia unius generis ſunt. Nam hæ tantùm re conſiſtunt, id eſt ipſo maleficio: cum alioquin ex contractu obligationes nõ tantùm re conſiſtant, ſed etiam uerbis & conſenſu. *Propoſitæ regulæ exceptiones hæ ſunt.*

I. Exceptio: *Niſi & actor pari delicto reum affecerit. Hæc exceptio approbatur l. cum par. 196. in fine. ff. de regulis iuris, hiſce uerbis:* Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipſam non incidit. *Concordat d. l. 196. in prin. cuius uerba cum concordantibus uide ſ. lib. 5. cap. 9. membr. 1. reg. 2.*

II. Exceptio: *Niſi reus capite ſit deminutus. Hæc exceptio reprobatur l. 2. §. nemo. ff. de capite minutis, hiſce uerbis:* Nemo delictis exuitur, quamuis capite minutus ſit. *Concordat l. tutelas. 7. §. iniuriarum. ff. eod. tt. his uerbis:* Iniuriarum & actionum ex delicto uenientium obligationes cum capite ambulant. *Vide item de exceptione propoſita j. libro 48. capite 21. quæſt. 1. except. 2. Plures propoſitæ regulæ exceptiones uide ſ. libro 3. capite 2. item libro 36. capite 3. item j. in ſingulis actionum pœnalium ſpeciebus.*

II. QVIBVS ACTIO POENALIS competit?

Etiam hæredibus actio pœnalis competit. quæ regula approbatur ſimul & diſtinguitur ſ. lib. 36. cap. 5. reg. 7. except. 3. cum ſequentibus.

III. ADVERSVS QVOS actio pœnalis competit?

I. Regula, *De hæredibus delinquentis. Aduerſus hos pœnalis actio non datur. quæ regula approbatur ſimul & diſtinguitur ſ. lib. 36. cap. 6. reg. 5. except. 1.*

II. Regula, *De alio quàm qui deliquit. Ex delicto alterius alius pœnali actione non tenetur. quæ regula approbatur quidem ipſo iure: uerùm eius exceptio prima hæc eſt: Niſi ſeruus deliquerit: ex hoc enim delicto in dominum eius noxalis competit actio. de qua j. dicetur. Altera exceptio uidetur: Niſi filiusfamiliàs deliquerit. nam & hoc caſu aduerſus patrem eius actio dari uidetur. Sed hæc exceptio reprobatur per ea quæ propoſita ſunt ſ. lib. prox. cap. 11. quæſt. 2. except. 11. Concordat* Inſt. *de noxalib. actionib. §. fin. cuius uerba uide j. lib. prox. cap. 2. quæſt. 2. except. 1. Tertia exceptio uidetur: Niſi uxor deliquerit. nam hoc caſu aduerſus maritum actio uidetur danda. Sed & hæc exceptio reprobatur l. cùm te. 3. ibi: cum neq; maritum. C. ne uxor pro marito. cuius uerba uide ſ. lib. 36. cap. 6. reg. 4. exemplo 4. Planè admittitur exceptio propoſita in caſu l. obſeruare. 4. §. proficiſci. ff. de officio procõſulis. cuius uerba uide ſ. lib. 2. cap. 15. reg. 9.*

III. Regula, *De filiofamiliàs delinquente. Aduerſus hunc datur pœnalis actio. quæ regula approbatur* Inſt. *de noxalib. actionib. §. fin. cuius uerba uide j. d. except. 3. Concordant ea quæ propoſita ſunt ſ. libro 36. cap. 2. except. 4.*

IIII. Regula, *De ipſo ſeruo delinquente iam manumiſſo, proponitur ſ. lib. 19. cap. 10. q. 13. reg. 9. except. 3.*

IIII. QVID QVANTVMQVE ueniat in pœnali actione?

Definitur hæc quæſtio Inſtit. *de actionib. §. omnes autem. cuius uerba uide ſ. lib. 36. cap. 4. quæſt. 2. diuiſ. 6. Eſt item huius quæſtionis regula, quòd nunquam ex poſt facto præteriti delicti æſtimatio creſcat. quæ regula approbatur l. omnis. 180. in fine. ff. de reg. iuris. cuius uerba uide ſ. lib. 3. cap. 4. de reliquis circumſtant. reg. 8. Sed & plures propoſitæ quæſtionis regulas uide d. cap. 4.*

V. ADIVNCTA OFFICIA actoris & iudicis.

I. Regula: *Actor in crimen ſubſcribere non cogitur. quæ regula approbatur ſimul & diſtinguitur l. ſi quis. 2. ff. de priuatis delictis, hiſce uerbis:* Si quis actionem quæ ex maleficijs oritur, uelit exequi: ſiquidem pecuniariè agere uelit, ad ius ordinarium remittendus erit, nec cogendus erit in crimẽ ſubſcribere. Enimuerò ſi extra